

à iudicibus, à principe, cui privative eorum competit nominatio, electis, facienda, sed à partibus; in iuris arbitris, eo quod per pactum hæc facultas concedatur, etiam à lege dependet saltem permissivè: in arbitratoribus ex sola partium constipulatione; qua decisioni electi stare vellet promittunt; vid. verb. Clericus, vers. Consonat: verb. Forum, vers. Nullus ambigit: leg. 23. tit. 4. p. 3. 4. tit. 7. lib. 1. For. Reg. 5. tit. 15. lib. 2. Ord. Reg. 4. tit. 9. lib. 3. Recop. Cast.

Arbitrum denominari qui ad aliquod negotium æstimandum assumitur, concedi debet: leg. 9. tit. 5. p. 5. per quam præcipitur, in tertii voluntate, ut arbitretur, pretium rei venditæ posse conferri, cum ad aliorum recursu, si æqua non fuerit æstimatio; arbitrarii nomen meretur; quando opus construitur hac sub qualitate, ne pretium solvatur; usquequo domino opus placuerit; leg. 17. tit. 8. ejusd. p. 3. Arbitrator dicitur qui quomodocumque liberetur, de sua re disponere potest: non eget hoc assertum comprobatione.

Arbitri nomen utrumque comprehendit, tam juris arbitros quam arbitratores: vid. leg. supra adnotat. l. 106. §. 107. tit. 18. 17. tit. 23. p. 3. illi in causa procedunt, ut iudices ordinarii, definitive eam determinando: vide add. hisp. in hoc verb. vers. Arbitri juris: nam arbitraria sunt ad instar iudiciorum redacta; isti autem, dum arbitramentum dolo vel malitia sit destitutum, sine aliqua juridica solemnitate, qua forma eis melius pro bono pacis visum fuerit, negotium terminabunt. Leg. 23. tit. 4. p. 3.

Majori ut claritas referantur circa hanc materiam disposita, primo personarum quæ compromittere possunt, fiet mentio: secundo de rebus, sic determinandis: tertio, de omnibus, ad horum iudicium qualitates respicientibus.

Omnibus, ante ordinariam per se seu procuratorem comparare valentibus, compromittendi est facultas: si minor vig. quinq. ann. absque curatoris auctoritate compromisit, arbitramento aut laudostare non tenetur, fideiussor obligatus nihilominus est de pœna conveniendus: verum dicta auctoritate, qua curatorem non habebat, deficiente, minor manet adstrictus, inciditque in pœnam iudicio arbitrario non obtemperans, præterquamquod damnum sibi esse irrogatum probaverit; leg. 25. tit. 4. p. 3. recognoscit add. hisp. verb. Emptio, vers. Ab omnibus: in fine verb. Hypotheca, vers. Abs dubio: & verb. Ignorantia, vers. In civilibus: mirum videtur cum minor non habeat legitimam personam standi in iudicio leg. 7. §. 11. tit. 2. p. 3. 17. tit. 16. p. 6. vid. tit. 19. ejusd. p. ubi de minorum restitutione tractatur: nec quidquam efficere possit, auctoritate tutoris, vel curatoris non intercedente, præcipue dum in ejus dispendium dirigitur.

De qualibet controversia, inter partes orta, compromissum, causis exceptis, in quibus venit ex illi, aut sanguinis pœna irroganda, ad libertatem, servitutem, matrimoniumve tangentibus, fieri posse, lex 24. ejusd. tit. 4. p. 3. determinat: nec valet laudum aut arbitramentum, si de actione populari arbitrari intendatur: secus quando per procuratorem sine syndicum, speciale ad hoc mandatum habentem, compromittitur, tuncquidem sustinetur, quis sit effectus præcedentis doctrine: vide add. hisp. verb. Alimenta, vers. Ubi viget: verb. Murum, vers. Civitas: prope fin. leg. 3. §. 6. tit. 3. lib. 7. Ord. Reg. 1. t. 7. lib. 7. Recop. Cast. Ab uno ex compromittentibus nequit compromissum admitti; neque à iudice ordinario, de causa cognoscente, nisi istè ut compositor amicebilis: vide dict. leg. 24. eam confer. cum 17. tit. 5. lib. 2. 9. tit. 6. lib. 3. Recop. Cast. in addit. hisp. hujus verb. Arbitrator, vers. Quamquam: inveniuntur prædicta leges.

Quis à partibus electus compromissum acceptare poterit, etiamsi minor fuerit, major tamen quatuordecim: leg. 5. ejusd. tit. 4. p. 3. 4. tit. 15. lib. 2. Ord. Reg. 3. t. 9. lib. 3. Recop. Cast. ita ut nequeat revocari arbitramentum quoniam minoritas exponatur: etsi ad virgulum iustitiæ obtinendum viginti annorum tempus in illiteratis requiratur completum, vigesimum sextum in iurisperitentiam proficientibus; leg. 2. tit. 9. lib. 3. ejusd. Recop. namquam ab accepta re neheant resillire, quod ab initio est voluntatis, ex post facto est necessitatis, leg. 1. tit. 8. p. 1. 29. tit. 4. p. 3. vid. leg. 2. tit. 16. lib. 5. Recop.

Casus in add. hisp. verb. Pactum, insertum.

Circa res, iuxta formam, & intra tempus, diebus feriatis, si juris arbitri fuerint, exclusis, nec non de fructibus, reique litigiosis redditibus, in compromisso assignata, arbitramentum sive laudum per ipsosmet electos vel nominatos, non per alium est pronuntiandum; de arbitris, aut compromittentibus uno mortuo, nisi ut procedant, signanter demandetur, si in religionem ingrediatur, servus sit effectus, exilium patiat, rei interitus acciderit, vel à petitione liberationem consequatur, quibuslibet ex antecedentibus præhabitis, facultas aut potestas finitur eorum; accepto compromisso, ut supra advertitur, per ordinarium iudicem sunt cogendi: & si discordia fuerit orta, quod major pars decreverit, attendi debet, utpote alius est nominandus; leg. 17. tit. 22. part. 3. vid. add. hisp. verb. Testamentum, vers. Discordias: leg. 27. 28. 29. 30. 32. tit. 4. p. 3.

Habent excusationem, ne possint ad pronuntiandum compelli, si alium arbitrum quaerent, sive ad iudicem ordinarium revertant: ratione infirmitatis, magni præiudicii, aliave occupatione detenti; leg. 30. t. 4. p. 3. Jam cit. recusatus, probata recusationis causa, quamvis desisteret noluerit, nequit procedere, & est ad desistentiam cogendus; leg. 31. ejusd. Quod arbitrator sine temporis præfinitione ad implementum, intra quatuor menses effectum sortiatur: si non parerit, pœnaque est conventa, satisfieri debet: leg. 33. tit. ejusd. & p. non erit obtemperandum, si contra legem, bonos mores, mala fide, iniustusque probationibus fuerit arbitrium conlatum, idè prædictis in casibus ac alio legitimo occurrente impedimento, pœnae immunitas conceditur, si arbitraria sententiæ non satisfiat; leg. 34. ejusd. Denique leg. fin. ejusd. tit. 4. §. p. 3. leg. 17. tit. 23. p. ead. decernitur (sine distinctione loquuntur) de eorum sententia non esse appellationem interponendam: secundum leg. 23. t. 4. p. 3. ad bonorum virorum arbitrium, à iudice ordinario eligendorum fieri debet recursus.

Omnibus his attentis, hic erit pronuntiandum, primo, quam certitudinem quatuor mensium designatio in se continet: secundo, qua forma reductio quo peti, & deducti post laudi, sui arbitramenti pronuntiationem valet, erit intelligenda.

Prædicti temporis assignatio nullam vim obtinet, quia sententiæ arbitraria leg. 4. t. 8. lib. 3. Ord. Reg. 1. §. 4. t. 21. lib. 4. Recop. Cast. habet paratam executionem, quare nullum tempus ad ejus implementum assignabitur: sed statim ac à parte ferit sollicitum, à iudice Ordinario expedire mandatum præcipitur, dum per scripturam, aut partium confessionem de laudo sive arbitramentum constituerit: vide verb. Appellatio, vers. His notatis: verb. Probatio, vers. Inter species: verb. Sententia, vers. Sententiæ: in add. hisp. leg. 1. cit. §. 1. 21. l. 4.

Circa secundum, præter determinatum à leg. 4. su præscripta nil aliud demonstrabitur, quæ quidem ut posterior leg. 19. tit. 1. p. 1. 238. styli normam constituet, nullum datur discrimen inter laudum, hoc est, sententiam à iuris arbitro, & inter arbitramentum, id est, ab arbitratore prolatam: petita executione, illico est exequenda, dum in eis non notetur excessus, præcedente securitate creditoris, quod, si per superiores prædicta sententia revocationem meruerit, fiet omnium restitutio virtute ipsius cum fructibus perceptorum: vid. add. hisp. verb. Appellatio, vers. Altera verò pars: dummodo de sententia arbitraria per boni viri reductionem reclamaverit: de illius nullitate intendenti, aliavne actionem seu remedium in iudicio exhibuerit: confirmatoris sententiæ in tribunal superioris, nullus recursus superest; verumtamen si iudicis inferioris idem fuerit iudicium, per confirmationem, aut revocationem arbitrariæ sententiæ, non denegatur appellatio: ad superiore recurritur, & per eam vel confirmatio seu reformatio obtinetur: si ista, supplicatur, si illa, aditus omni remedio præcluditur.

Andeò asserere, (Roeci pendatur) bene inspecta prædicta determinatione, in utraque sententia reductionem ingredi ante iudicem ordinarium petitam: appellationem in laudo tantum, non ad ordinarium, sed ad tribunal superius: nam si ad instar iudiciorum sunt redacta, si iur

resic disponente, per partium consensum juris arbitri eliguntur, ferè consonat horum iudicium in causa compromissa cum Ordinarii iudicis privativa: nequit per consequens recursus ad eundem appellationis interponi, quia videntur æquari iurisdictiones, ferique debeat de inferiori ad superiore: è converso verò contra hujus recursus naturam impingitur; leg. 1. §. 18. tit. 23. p. 3. Non potest alienum à ratione hoc assertum videri, quando notoriè patet, parem in parem imperium non habere: quapropter unus iudex ordinarius ab altero de causis jam decisis, æqualem iurisdictionem habente, cognitionem assumere nequit: leg. 71. tit. 15. lib. 2. 20. tit. 3. lib. 5. Ind. nisi per legem aut legislatorem elargiatur. Vide pro conclusione hujus adnotationis quæ ultimæ articulo. 4. præced. verb. Appellatio, ad num. 49. & reqq. sunt animadvertenda.

ARBOR CONSANGUINITATIS, ET AFFINITATIS. Vide verb. Impedimenta matrimonii art. 1. n. 34. §. 35. & verb. Affinitas n. 14.

ARCHIDIACONUS.

SUMMARIUM.

- 1. Arcum sacerdoti dignitas, & auctoritas amplissima, ad num. 6.
- 2. Ejus præcedentia supra Archiepiscopatum, ad n. 9.
- 3. Ejus officium, ad n. 19.
- 4. Consuetudines diversæ, ac inter se oppositæ in hoc proposito, ad n. 25.
- 5. Dispositiones variæ Sacrarum Congr. in eadem materia, ad n. 36.
- 6. Laureæ Doctoralis requisita in Archidiacono ad n. 40.
- 7. De Archidiacono, qui simul sit Protosynarius, ad num. 45.
- 8. De Archidiaconi præcedentia in concursu cum Vicario Generali, ad n. 48.
- 9. Differentiæ inter Archidiaconum, & Vicarium Generalem, ad n. 51.
- 10. Jura quædam, & prærogative Archidiacono vel sublatæ, vel interdicta, ad n. 62.
- 11. Subveniuntur additiones ex aliena manu, ad n. 94.

ARCHIDIACONUS sic dicitur est, quasi princeps Diaconorum, seu primus inter Diaconos; græca enim significatio *Archeos* denotat primum, seu principem, & Diaconus, ministrum, dist. 21. cap. Cleros, & Clericos. Et primis Apostolorum temporibus in singulis civitatibus Episcopaliibus septem Diaconi constituti solebant, ut constat ex cap. 6. Actuum Apostolorum, & ex cap. Diaconi 12. & cap. Diaconi septem 13. dist. 93. ex quibus, qui ceteris antiquior erat, appellabatur Archidiaconus, & ejus officium erat curare ut ceteri Diaconi rite suo munere fungerentur, ut inter alios refert Azorius part. 2. Institut. lib. 3. cap. 14. quest. 1. Postea verò Archidiaconi auctoritas est sic adauata, ut Vicarius Episcopi in omnibus esset, ut expressè dicitur in cap. Ut Archidiaconus 1. de officio Archidiaconi, his verbis: "Ut Archidiaconus post Episcopum sicut se Vicarium esse ejus in omnibus &c." & cap. Ad hæc 7. eodem tit. dicitur: "Secundum verò romani ordinis constitutionem major post Episcopum, & ipsius Episcopi Vicarius reperitur." Et tenet Rota, part. 11. dec. 160. n. 22. & part. 14. dec. 189. n. 18. & 19. ubi dicit, Archidiaconum esse Vicarium Episcopi, licet non assumat ab Episcopo, sed tantum à jure habentem perpetuam vicariam, & ordinariam iurisdictionem.

Immo si exerevit Archidiaconi auctoritas, ut nêdum Vicarius natus Episcopi fuerit constitutus, sed etiam Episcopi oculus appellatus, ut in epistola divi Clementis Papæ, cap. Diaconi ecclesie 7. dist. 93. Diaconi ecclesie sint tamquam oculi Episcopi; & in cap. Ad hæc 7. de officio Archidiaconi. Innocent. III. sic expressè ait Item in epistola B. Clementis Papæ prædecessoris nostri oculis Episcopi Archidiaconus appellatur, ut loco Episcopi per episcopatum prospiciens, quæ corrigenda vide

rit, corrigat, & emendet. Et in epistola Evaristi, cap. Diaconi 12. dist. 93. Diaconi, qui quasi oculi videntur esse Episcopi, & in Concil. Trident. sess. 24. cap. 12. verb. Archidiaconi; Archidiaconi etiam, qui oculi dicuntur Episcopi. Et ob hanc tantam suam elevatam auctoritatem, & dignitatem Archidiaconus antefertur Archiepiscopo, & Archiepiscopo Archidiaconi iurisdictioni subjacere tenetur, cit. cap. Ad hæc 7. de officio Archidiaconi; ubi sic expressè dicitur: Archiepiscopi, qui à pluribus Decanis nuncupantur, ejus iurisdictioni se non verint subjacere. Cum enim Archidiaconus ratione majoris iurisdictionis & ministerii immediatus ministret, & assistat Episcopo, quasi ipse Archiepiscopus, debet ei precedere, quamvis ordine sit ei inferior; sicut Cardinalis, ex quo immediatus assistant summo Pontifici, ut ejus administrent negotia, ratione hujus majoris officii, & administrationis præcedunt Episcopos ordine majores. Adeoque debet de jure precedere Archiepiscopo, quamvis non sit sacerdos, ut tenuit etiam Rota, part. 3. dec. 244. n. 2. & seq. Si tamen sit sacerdos, cum in tali casu sit par in ordine, & major in administratione, debet precedere Archiepiscopo, absente Episcopo, in celebratione missarum in diebus solemnibus, & aliis solemnioribus functionibus, prout decrevit Sac. Rit. Congr. in Regiensi, 9. Decembris 1600. his verbis: Censuit Sac. Cong. Archidiaconum dictæ ecclesie, qui prima dignitas post pontificalem existit, & sacerdos nunc est, non quidem ex obligatione, sed ex sua voluntate, & devotione in decantatione missarum in diebus solemnibus, & delectione Sanctissimi Sacramenti, benedictione candelarum, cinerum, palmarum, & aliis hujusmodi actibus, & functionibus sacerdotalibus, Episcopo absente, præferendum esse Archiepiscopo, neque allegatam consuetudinem, quæ legitime probata non fuit, eidem Archiepiscopo ad excludendum Archidiaconum sacerdotem in casu, de quo agitur, suffragari. Sic etiam in Sanctæ Agathe Gothorum, 23. Martii 1602. & in Juvencens. 17. Novembris 1607. & in Baren. 19. Januarii 1608. & in Pennenbr. 24. Januarii 1615. & Rota part. 3. dec. 244. dec. 1609. in Viterbien. celebrationis Missarum.

Excipitur tamen casus, in quo de eadem cathedrali concurrat in funebribus Archidiaconus, qui est prima dignitas, & Archiepiscopus, qui est secunda, & cui incumbit cura animarum, & desert stola; quia cum Archiepiscopus, dum in ecclesia facit officium, præcedat Archidiacono, ei precedere debet etiam in via, nulla probata ex alterius parte consuetudine in contrarium; sic Sac. Cong. Rituum, in una Trojana, die 14. Maji 1613. declaravit tandam esse præcedentiam Archiepiscopo ratione stola, ut refert Lavor. verb. Lucubr. tom. 1. tit. 2. cap. 3. num. 211. Barbosa, juris eccles. univers. lib. 1. cap. 23. num. 23. Et de canon. & dignit. cap. 5. n. 49.

Multa de jure communi pertinent ad officium Archidiaconi: Primo: Clericis & Ministris ecclesie præcipere omnia ea, quæ ab ipsis juxta suos gradus sunt obeunda, & de tertio in tertium annum, si Episcopus non possit, diocesim totam visitare, & cuncta, quæ emendatione, & correctione indigent, corrigere, & emendare; cap. Ut Archidiaconus 2. de officio Archidiaconi. Hodie tamen diocesis visitatio debet fieri per Episcopum, vel eo impedito per suum Vicarium Generalem quolibet anno, vel saltem quolibet biennio compleri, si diocesis sit nimis ampla & vasta; Trident. sess. 14. de reformatione, cap. 3. Secundo: Ad ipsum spectat ecclesiasticum, & divinum officium disponere, lectiones Clericis distribuere, Acolytos instituire, & omnes alios Clericos dirigere in iis, quæ in altaris ministerio agere debent; cap. Officium verò 2. eod. tit. Tertio: Ad Archidiaconum officium pertinet principaliter sacrorum vasorum, & ecclesie custodiam habere; cap. Ea quæ 3. eod. tit. Quarto: Ad ipsum attinet ecclesias sui Archidiaconatus semel in anno visitare, nec sæpius, nisi forte talis causa emerit, propter quam ipsum oporteat præfatas ecclesias visitare; cap. Mandamus 7. eod. tit. Quoad hoc tamen statuit Concil. Trident. citat. sess. 24. & cap. 3. quod Archidiaconi, Decani & alii inferiores in ecclesiis, ubi hætenus visita-

BIBLIOTECA CENTRAL  
UNIVERSITATIS  
MAGNÆ

tionem exercere legitime consueverunt, debeat assumpto Notario de consensu Episcopi deinceps per se ipsos tantum visitare, & visitationis suae rationem Episcopo intra mensem reddere, & depositiones testium, ac integra acta ei exhibere teneantur, non obstantibus quacumque consuetudine, exemptione, vel privilegio. Quinto: Ad Archidiaconum pertinent institutio corporalis tam in beneficiis, quam in dignitatibus, sicut etiam examinatio Clericorum ordinandorum, & eorum, qui beneficiis ecclesiasticis praeficiendi sunt, ita tamen ut postea Episcopo praesententur, & ab eo approbentur, c. Ad haec 7. §. c. Ut nostrum 9. eod. tit. Quantum vero ad examen promovendum ad ordines, hodie ex Concil. Trident. sess. 23. de reformat. Episcopo cum assistentia Virorum peritorum competere dignoscitur. Et quantum ad examen eorum, qui praeficiendi sunt ad parochiales, est statutum a Tridentino, sess. 24. c. 18. quod hoc spectat ad examinatores synodales. Haec & alia de jure communi spectant ad officium, & potestatem Archidiaconi, ut videre est in toto suo titulo.

20 Ast hodie attendenda est cujusque ecclesiae specialis consuetudo, cum ista juri communi scripto in officio praevalent, c. Cum olim 6. de consuetudin. Silvester, in summ. verb. Archidiaconus, n. 1. & Gloss. in citat. c. Ad haec 2. de excessibus Praelator. verb. Consuetudines, ubi dicit quod jurisdictione Archidiaconi potius est consuetudine, quam ex jure juvatur. In quibusdam igitur ecclesiis Archidiaconus exercet jurisdictionem in Clericis, & parochias civitatis, & in certum districtum adjacentem, qui fines Archidiaconatus dicuntur. In quibusdam aliis non unum tantum, sed plures Archidiaconi sunt constituti, qui totam diocesim in certas partes distributam regunt tanquam Vicarii Episcopi perpetui. In quibusdam aliis Archidiaconus habet tantum praeminentiam inter Canonicos sine ulla jurisdictione, & administratione. In quibusdam aliis nequidem habet praecedentiam ad omnes, sed hanc habet alia prima dignitas, in quibusdam aliis nullus est Archidiaconus, & ejus officium peragit Archipresbyter, vel Praepositus, vel Decanus, vel Primicerius, vel alia prima dignitas, diverso nomine nuncupata, sic Azorius, part. 2. inst. lib. 3. c. 14. q. 7. Cardin. Tuschus, verb. Archidiaconus, concilio 482. n. 1. Barbosa, lib. 1. juris eccles. c. 24. n. 37.

26 De Archidiaconi officio, dignitate, & praeminentia plurima saepe supra in dies disposita sunt a Sacris Congregationibus, quae ut commodè ab omnibus scribi possint, placet hic referre, prout referuntur à variis doctoribus, & signanter à Barbosa, in collectan. Apostolic. decis. verb. Archidiaconus, de Canonicis, & Dignitatibus, cap. 5. §. lib. 1. juris ecclesiast. univers. c. 24. In choro igitur tanquam prima dignitas post pontificalem aliis superior, & major habetur, & ad ipsum in choro permanentem spectat in principio matutini, horarum canonicarum, ac vesperarum, intimare Pater noster, quo dicto ad eundem pariter spectat sua manu signum dare, ut incipiatur Domine labia &c. vel Deus in adiutorium meum &c. ad ipsum etiam ad primam pertinet dicere, Dies & actus nostros &c. Adjutorium nostrum, & Deus nos benedicat &c. Ad completorium, noctem quietam &c. Benedicte & custodiat nos &c. & in fine horarum, & matutini, Dominus det nobis, &c. & antequam per ipsum deuter signum finis, nemo, officio expleto, è choro egredi valet. Ita Sacr. Congreg. Episc. & Reg. in Theatina, sub die 18. Aprilis 1617. Sic etiam in Aprutina, 18. Aprilis 1627. & in Carsanen. 16. Septembris 1633.

28 Archidiaconus, ut prima dignitas debet exercere officium presbyteri assistentis cum pluviali Episcopo celebranti juxta formam caeremonialis, illicque candelam, & palmam benedictam ministrare, dummodo sit in sacerdotali ordine constitutus; Sacr. Congreg. Rit. in Brixien. 29. Maji 1616. & in Reatina, 10. Januarii 1690. Non autem Archipresbyter, eadem Sacr. Congreg. in Verzell. 7. Augusti 1610. Et recusans cogendus est panis, & censuris ecclesiasticis, ut in dicta Brixien. 27. Maii 1616. & dicta Reatina 10. Januarii 1690. Et dum in assisten-

tia est apud Episcopum, intelligitur praesens in choro, tam in ecclesia cathedrali, quam in alia, ut in Camerin. 15. Martii 1608. Ubi autem Archidiaconus non est prima dignitas, officium supradictum spectat ad primam dignitatem; Sacr. Congr. Rit. in Brixien. 28. Maji 1616.

Archidiaconus qui sustinet baculum Episcopi, dum celebrat solemnit, thurificandus est immediate post Diaconos assistentes; Sacr. Congregatio Rit. in Bracharen. 28. Aprilis 1600. Etiam si sit primus Archidiaconus, & habeat alias praerogativas; Eadem Sacr. Congreg. in eadem causa, 18. Januarii 1608. Archidiaconus, qui sedet à dextris Episcopi celebrantis in cathedrali, à dextris pariter sedere debet, cum celebrat in collegiatis; Sacr. Congreg. Rit. in Theatina 2. Martii 1602. Archidiaconus, ad quem de consuetudine ecclesiae spectat, absente Decano, convocare capitulum, in eo proponere, ac resolutiones accipere, id potest etiam non sit in sacris, cum iste sit actus jurisdictionis, qui competit Archidiacono etiam in sacris non constituto, & ad Decanum non spectat ratione ordinis, sed antiquitatis, & superioritatis; Sacr. Congreg. Concilii, referent. Nicol. Garc. de benef. p. 3. c. 4. n. 26.

Archidiaconus habens jurisdictionem contentiosam, debet esse Doctor promotus in publico gymnasio, seu universitate, aliis gradus ei non suffragantur, cum Doctor ex privilegio ad hujusmodi dignitatem nequaquam promoveri possit ex Bulla 63. S. Pii V. Sacr. Congreg. Concil. quam referunt Squilant. de privileg. Clericor. c. 4. n. 114. Navarr. in regul. canonic. conclus. 4. num. 4. Nicol. Garc. part. 7. c. num. 40. Archidiaconus, qui vel curam animarum habet, vel jurisdictionem, jura sit. de offic. Archidiaconi, in omnibus ecclesiis, ubi fieri potest, debet esse Magister, seu Doctor, aut Licentiatum in theologia, vel jure canonico. Concil. Trident. sess. 24. c. 12. & Sacr. Congreg. Concil. referente Piassec. in praxi Episc. part. 2. c. 5. num. 20. Archidiaconus, qui verè cura animarum, & omni prorsus jurisdictione caret, non comprehenditur in citat. decret. Conc. Trident. sess. 24. c. 12. quoad qualificationem doctoratus, vel licentiatum in eo requisitum; Sacr. Congreg. Concil. referente Piassec. in praxi Episc. part. 2. c. 5. num. 20. Si vero Archidiaconus sit prima dignitas in cathedrali, debet esse doctor, quamvis non habeat curam animarum, nec contentiosam jurisdictionem; Sacr. Congr. Concil. in Adren. 1. Aprilis 1628. Postea tamen pluries statutum contrarium, & signanter in Laellen. 12. Januarii 1697. & in Cortonen. 16. Februarii 1704. apud Monacell. 1. 3. supplement. ad 1. tom. num. 212. Vide ipsum, ibi, ubi multa habet ad rem, & dicit quod clausula in bulla provisionis Archidiaconatus apponi solita, scilicet Quod infra annum lauream doctoralem, suscipere teneatis, potius de stylo s. riptorium, quam ex voluntate Pape hodie apponi solet, & ideo tanquam vana à Sacr. Congregatione Concilii spernitur.

Archidiaconus, qui ex privilegio est Protonotarius, non lucratur fructus & distributiones sui Archidiaconatus, si cum habitu Protonotarii in ecclesia, choro, & processioneibus, ac divinis officiis assistat. Sacr. Congr. Rit. in Asculana in Apulia, 6. Martii 1610. Et si voluerit in ecclesia uti habitu Protonotarii, reputatur tanquam extraneus, & ei locus assignandus est, non inter dignitates, & Canonicos, sed post Abbates; eadem Sacr. Congr. in dicta Asculana. Nec potest in publicis functionibus in assistentia Episcopi, & aliis adibus sibi tanquam Archidiacono competentibus, uti habitu Protonotarii, sed suo habitu Canonicali. Eadem Sacra Congr. in dicta Asculana in Apulia, 19. Novembris 1611. Potest tamen uti habitu Protonotarii in actibus non competentibus sibi tanquam Archidiacono. Eadem Sacr. Congr. in dicta Asculana, & in nullius terrae Pisciis, 19. Januarii 1612. Archidiaconus Protonotarius non ex altari, sed ex sacristia, ut faciunt ceterae dignitates, & Canonici, debet sumere paramenta pro missa privata celebranda in ecclesia cathedrali. Eadem Sacra Congreg. Rit. in dicta Asculana, 6. Martii 1610.

Licet Archidiacono solita sedes in choro adimi non possit, attamen Vicarius generalis Episcopi illum tam in cho-

choro, quam ubilibet, praecedere debet, ut declaravit Sacr. Congr. Episc. & Regul. in Theatina, 6. Julii 1618. Vicarius enim generalis, absente Episcopo, debet habere primum locum super omnes dignitates, & Canonicos, non obstante consuetudine, alioquin in contrarium, sicut censuit etiam Sacr. Congr. in Andriem. 7. Augusti 1620. & in Ferrariem. 20. Decembris 1614. & in Militen. 15. Julii 1619. ubi quod praecedat capitulo, & cleuro. Dummodo tamen ipse non sit de gremio capituli, quia tunc sedere debet in suo stallo canonicali, si distributiones quotidianas lucrari velit, ut pluries decrevit Sacr. Congr. Vide verb. Vicarius generalis. Hac occasione de Vicario, & Archidiacono advertendum est, quod isti inter se sic differunt: Primò, quia Archidiaconus est perpetuus ratione dignitatis, cui officium Vicarii est annexum, ideoque vocatur Vicarius natus, & à jure datus; & Vicarius generalis est temporaneus, revocabilis, & Vicarius ab homine constituitur. Secundo, Archidiaconus habet jurisdictionem propriam ab episcopali distinctam: Ideoque datur appellatio ab Archidiacono ad Episcopum; & Vicarius generalis habet idem tribunal cum Episcopo; c. Romana 4. de app. nec datur appellatio à Vicario ad Episcopum: c. Non putamus 2. de consuet. in 6. Tertio, mortuo Episcopo, vel civiliter, vel physice, expirat jurisdictione Vicarii generalis, non tamen Archidiaconi. Gloss. in cap. Ut Archidiaconus 1. de offic. Archid. verb. Vicarius.

Archidiaconus quamvis ex cap. Ad haec 7. §. cap. Ut nostrum 9. de offic. Archidiaconi, deberet examinare ordinandos, illosque Episcopo praesentare; tamen hodie non tenetur Episcopus ipsum vocare, ut intersit examini ordinandorum, ut colligitur ex Concil. Trident. sess. 21. cap. 7. & expressè decrevit Sacr. Congreg. sub die 21. Junii 1617. Sic etiam non tenetur Episcopus eum vocare, ut intersit cum examinatores synodales, nec ipse debet cum ipsis necessario intervenire examini instruendum ad Parochiales, ut colligitur ex Concilio Tridentino, sess. 24. cap. 18. & expressè decrevit Sacr. Concil. Cum enim, ut refert Fagnan. in cap. Ad haec, 1. de offic. Archidiaconi. num. 25. & Pignatell. tom. 4. consult. 181. num. 17. in Sacr. Congreg. Concil. Trident. quaesitum esset, 1. an facultas de jure antiquo competens Archidiacono examinandi nedom promovendos ad sacros ordines, sed etiam instituendos in ecclesiis, ut habetur in cap. Ad haec, de officio Archidiaconi, sit sublata per Concil. Tridentin. dispositionem, quae habetur, sess. 24. cap. 18. ubi quod ecclesiae parochiales hoc minus demandatur examinatoribus electis in Synodo: Secundo, quatenus sit derogatum praerogativae Archidiaconi, ut non possit solus hoc facere, an saltem debeat intervenire cum examinatores, licet ipse non sit unus ex deputatis in Synodo? Sacr. Congr. ad primam censuit, Concilium privasse Archidiaconum sua facultate examinandi; ad secundum respondit non debere, nisi sit unus ex deputatis in Synodo.

(Cum hoc opus addenti ab initio fuerit obiectum, in quantum vires ejus patenterent, adnotationes nostris legibus consentaneas efficiendi: sciendum est, harum dispositionum, & doctrinae leges hispanicas reminisci; videatur lex 4. tit. 6. part. 1. quae exprimit, ut Como Caballo de Evangelistis: reliqua literalia ejus verba cum praecedentibus conveniunt; in omnibus, & ceteris quae hic referunt, ipsamet lex concludit consuetudinem semper praevalere.)

Immo nedom Archidiaconus non habet jurisdictionem ad supradicta, quae sibi à Concilio, & Sacra Congregatione sunt limitata, sed neque habet facultatem, & jurisdictionem ad multa alia, quae sibi à jure ipso sunt specialiter interdicta. Ut committere curam animarum, vel dare institutionem auctorizabilem, cap. Cum satis 4. de officio Archidiaconi. Dare literas dimissoriales ad ordines; cap. Significasti 8. eod. tit. Exercere jurisdictionem in regulares; c. Dilecto 10. eod. tit. Excommunicare; citat. cap. Dilecto 19. eod. tit. Suspendere ad longum 60 tempus; c. Veniens ad nos 1. de excess. Praelator. Uniore ecclesiae, c. Sicut unire, eod. tit. de excess. Praelator. Causas matrimoniales cognoscere; c. Accedenti- bus 15. eod. tit. de excess. Praelator. Deponere Beneficia-

tos; cap. Suffraganeis 11. de election. antequam supra Quod Archidiaconum dignitas antiquissima sit in ecclesia, & ferè à temporibus Apostolorum repetenda, innuere videtur & ipse Thomasin. ver. & nov. eccles. discip. part. 1. lib. 2. cap. 17. num. 1. Num verò ad officii assumeretur is, quem Episcopus arbitratus suo, vel potius quem Diaconus de se, utpote magis indutrum elegerent, non constat inter eruditos. Tu interim consule Thomass. c. l. n. 2. 4. §. 11. At numquam in ecclesia occidentali ad ejusmodi dignitatem evehebatur, qui antiquior erat in ordinatione, ut certè visum est Salsmasio, de Primat. Pap. & fortè etiam auctori nostro sub n. 2. Num verò idem obtinuerit in ecclesia orientali, & praesertim Constantinopolitana, haud satis liquet, Thom. eod. n. 12.

Illud autem exploratum est, ab initio Archidiaconos minime ea fuisse donatos jurisdictione, quae posterioribus temporibus, & praesertim post Decretalium Gregor. IX. libros polluisse, nemo est, qui ignorat, & fusc hie tradit Auctor. Olim enim praecipuum eorum munus erat intra ecclesiam, in qua vice Episcopi officia inter Diaconos, ac minores Clericos dividebant: Sacra etiam cujusque ordinis instrumenta, cum ii ab Episcopo ordinabantur, porrigebant, Concil. Carthag. 4. can. 5. 6. & 9. Eucharistiam distribuere vel ipsi Praesbyteris, licet id indiscriminatim permissum quoque erit omnibus Diaconis, ut habetur dist. 93. ubi hujusmodi mos improbat, variaque relata sunt Conciliorum decreta auctoriam, & ambitionem coercentia Diaconorum, qui etiam supra Presbyteros sese extollebant, aliaque tandem intra ecclesiam peragebant Diaconi, quae habes penes Thom. praesertim, cit. oper. 18. num. 2.

Extra ecclesiam quoque munia Archidiaconorum extendebantur, cum iis pupillorum, viduarum, & peregrinorum cura fuerit demandata, Thomass. dist. c. 17. n. 12. collectam è communione pecuniam inter Clericos distribuere; laud. Auct. dist. c. 18. num. de beneficiis ordinandorum Laicis, & Clero retulerit, Concil. Chalced. a. 10. Juniores Clericos educerent, quae scire singulos oporteret, sive ad mentes instituendas, sive ad formandos mores, Concil. Carthag. 4. can. 9. Greg. Turon. hist. lib. 6. cap. 36.

Tractu verò temporis jurisdictione etiam Archidiacono accessit. Eam ab initio tanquam ab Episcopo delegatam in minores tantum Clericos exercuit. Deinde verò jurisdictione omnis cum voluntaria, tum contentiosa in universam diocesim mandata Archidiacono fuit, ut omnino esset Episcopi Vicarius generalis in Occidente aequè, ac in Oriente, ubi tamen non adeo effrensè praesertim in Clericos superioris gradus auctoritas fuit; quae de abundè Thomass. cit. oper. cap. 17. 18. & 19. §. noster Auctor.

Verum cum Archidiaconis ditissimè, & sine ullo limite fuerit ab Episcopis delegata jurisdictione; haec sensim, ut in ejusmodi concessionibus evenire solet, ordinaria existimata fuit, & propterea etiam sede episcopali vacante exercita. Hinc auctoritas Archidiaconorum non modò in Laicos, & minores Clericos, sed & in Presbyteros, & Archipresbyteros ipsos extendebatur, de qua fusc Auctor noster. Sed eorum potestatem in Archipresbyteros fuisse per decretales constabilitam ob relatum inibi spurium quoddam monumentum ejusmodi auctoritatem Archidiaconis tribuens, tradit Van-Espen. jur. eccles. univers. part. 1. tit. 12. cap. 1. num. 4. per tot. Ex eo insuper factum, ut Archidiaconi Sacerdoti accessione injuriam sibi fieri putarent, Hieron. in Ezech. c. 18. Petr. Blesens. epist. 123. Quamobrem gradui Archidiaconi quendam restituendum decernitur in can. 8. dist. 74. quod eum Episcopus, ut loco, dignitateque moveret, aliumque sibi amicum instrueret Archidiaconum, Presbyterum ordinaverat. Tanta autem in exercenda jurisdictione fuit Archidiaconorum avaritia, ut nonnulli prodierint conciliorum sanctiones eam coercentes, & ulterius ansam dederit laicis, ut Archidiaconatus invaserint, quo discesse sic possent; Thomass. citat. oper. cap. 19. n. 2. & 3. Avaritiae insuper Archidiaconorum accessit, quod sic agere post annum Christi millesimum coepert, ut suo magis quam vicario jure viderentur: unde haud esse ferendum fuit visum, non Presbyteros Presbyteris praessee-

90 eisque necessitas imposita Presbyteratus. Tandem eorum quoque contumacia in Episcopos fecit, ut hi paulatim jurisdictionem repeterent suam, quam Vicariis generalibus pro arbitrio amovibilibus demandarunt, ut fuscé Auctor. Hos vero libris decretalium recentiores esse patet ex dictis, neque vera mentio est in sexto.

92 Verum amplissimam ejusmodi Archidiaconorum jurisdictionem adhuc hodie in aliquibus ecclesiis stare, tradit Van-Espen. *loc. cit. n. 22.* quod & exemplis ecclesie leodiensis, & ecclesie S. Jacobi Lovanii demonstrat num. 22. 23. & 24.

93 In plerisque etiam ecclesiis Belgicis consuetudinem admissis Archidiaconis omnem planè jurisdictionem contentiosam, salva tamen eis extrajudiciali cura & sollicitudine tam in clerum, quam in populum, asseruat mex citat. Auctor *cod. num. 22.*

94 Si plura cupis cum ad veterem, tum ad presentem disciplinam spectantia, præter hic laudatos Auctores, adire potes Morin de sacris ordinibus, part. 3. ex. 16. capit. 3. Sirmond. tom. 1. oper. part. 967. cautè legendum Bohemer. ad tit. decret. de offic. Archidiacon. & Zypæum, consult. cau. ad eundem. tit.

ARCHIEPISCOPUS.

ARTICULUS I.

Quoad suum esse, & jurisdictionem, quam habet in tota sua provincia.

SUMMARIUM.

- 1 Archiepiscopus unde dicitur.
- 2 Archiepiscopus alio nomine appellatur Metropolitanus, & quare.
- 3 Archiepiscopus, & Metropolitanus in re sunt idem.
- 4 Dantur tamen aliqui Archiepiscopi, qui propriè non sunt Metropolitanus, ex quo nullum habeant suffraganeum.
- 5 Episcopi Metropolitanus subjecti quare appellantur suffraganei.
- 6 Archiepiscopus, seu Metropolitanus, ultra jurisdictionem, quam habet in propria diocesi, sicut ceteri Episcopi in suis, habet ordinariam jurisdictionem in omnes suffraganeos, seu Episcopos non exemptos sue provincie.
- 7 Archiepiscopus est iudex ordinarius, & competens omnium Episcoporum sue provincie.
- 8 Archiepiscopus potest liberè suam exercere jurisdictionem, & auctoritatem in omnibus frequentibus casibus. Primò potest Archiepiscopus suam exercere jurisdictionem cogendo suos suffraganeos Episcopos ad observandum eundem modum in divinis officiis celebrandis, quem servat ecclesia metropolitana.
- 9 Secundo potest suam exercere jurisdictionem, quando causa per appellationem ad ipsum deferatur.
- 10 Tertio potest injungere Episcopis suffraganeis, ut observent sacros canones in materia simonia, aliis ipse Archiepiscopus penam poterit infligere.
- 11 Quarto potest cogere Episcopos suffraganeos ad erigendum seminarium.
- 12 Quinto potest ipsos compellere ad faciendam Synodum, & cetera, inseparabilia ab ejus dignitate, ad num. 50.
- 51 Auctoris supplementa.
- 52 Ad. ex aliena manu, ad num. 63.

1 Archiepiscopus sic dicitur tamquam primus, seu princeps omnium Episcoporum sue provincie. Arche enim græce principium, vel principatum sonat, cap. Cleros verb. Archiepiscopus dist. 21. Et Archiepiscopus alio nomine appellatur Metropolitanus sive à mensura, à numero civitatum, & c. Cleros verb. Metropolitanus, quia provincia, cui præest Metropolitanus, decem aut undecim civitates, & totidem Episcopos suffraganeos olim sub

se continere solebat. cap. Scitote 2. caus. 6. quest. 3. gloss. in cit. cap. Cleros verb. A mensura dist. 21. Vel potius, & rectius dicitur Metropolitanus à Metro, quod idem sonat quod mater, & polis, quod idem sonat quod civitas, quia videlicet archiepiscopalis, seu metropolitana ecclesia, in qua residet Archiepiscopus, seu Metropolitanus, sita est in metropoli, seu in civitate præcipua, quæ est veluti mater, seu matrix aliarum ecclesiarum, seu civitatum totius provincie, cit. c. Cleros dist. 21. & ibi gloss. verb. A mensura. Abbas in cap. Suffraganeis n. 2. de elect. Covarrub. pract. cap. 19. num. 2. Pirhing. lib. 1. tit. 31. num. 13. Unde in re Archiepiscopus, & Metropolitanus idem sunt, ut deduci potest etiam in textu in cap. Pastoralis in princip. de offic. Ordinarii, & in extravaganti. Salvatoris de præbend. inter commun. Dantur tamen aliqui Archiepiscopi, qui propriè juxta datam explicationem non sunt metropolitanus, ex quo nullum sub se habent suffraganeum, ut testatur Homobon. De humane vite status part. 1. cap. 6. Azorius institut. moral. part. 2. lib. 3. c. 33. quest. 1. Barbosa de offic. & potest. Episcop. part. 1. tit. 1. c. 6. & lib. 1. juris univers. ecclesiast. cap. 7. num. 7. ubi dicit, tales esse inter alios Archiepiscopos Roxanens. & Lancianens. qui nullum habent suffraganeorum, quare autem in jure, ut cit. c. Scitote 2. caus. 6. quest. 3. & cap. Suffraganeis 11. de election. & cap. 1. de foro competent. in 6. Episcopi metropolitanus subjecti appellantur suffraganei, est quia suffragantur ipsi in officio episcopali, scilicet in consecrando alios Episcopos, in celebrando concilia, & hujusmodi, Abbas in cap. Suffraganeis de elect. n. 1. & alii passim. Archiepiscopus, seu Metropolitanus, ultra jurisdictionem, quam habet in propria diocesi, sicuti Episcopi in suis, habet ordinariam jurisdictionem in omnes suffraganeos, seu Episcopos non exemptos sue provincie, adeoque tamquam ordinarius, & immediatus eorum superior potest eisdem præcipere, quæ ad eorum spectant officium, & si negligentes sint, potest ipsos etiam per censuras compellere ad præstandum suum officium, ut colligitur ex cap. Quod autem Archiepiscopus n. 1. & cap. Per Provincias 2. & 3. caus. 9. q. 3. cap. Quia cognovimus 6. caus. 10. q. 3. & cap. Pastoralis 11. §. 1. de offic. Jud. Ordinarii, ubi expressè dicitur: Quod Episcopus suos eidem (scilicet Archiepiscopo) sit Metropolitanus lege subjectus, cap. Venerabilis §. 2. de sentent. excomm. cap. Romana ecclesia 1. de offic. Ordinarii in 6. Est enim Archiepiscopus iudex ordinarius, & competens omnium Episcoporum sue provincie, unde quicumque habens auctoritatem contra Episcopum, potest illum convenire coram Archiepiscopo, textu expresso in cit. cap. Quia cognovimus 6. caus. 10. q. 3. Abbas in cit. cap. Pastoralis, & alii passim. Qui Archiepiscopus potest liberè suam exercere jurisdictionem in omnibus sequentibus casibus.

Primo potest Archiepiscopus suam exercere jurisdictionem cogendo suos suffraganeos Episcopos ad observandum eundem modum in divinis officiis celebrandis, quem servat ecclesia metropolitana, cap. De his 14. dist. 12. Gloss. in cap. Pastoralis, de offic. Ordinarii, verb. Exceptis. Secundo potest suam exercere jurisdictionem, quando causa per appellationem ad ipsum deferatur, scilicet quando à sententia, vel gravamine Episcopi legitime appellatur ad Archiepiscopum, cap. Cum non ignoretis 1. de offic. Legati, cap. Duo simul 9. de offic. Judicis Ordinarii. Tertio potest injungere Episcopis suffraganeis, ut observent sacros canones in materia simonia, aliis ipse Archiepiscopus penam poterit infligere, c. Dilectus Filius 30. de simonia. Quarto potest cogere Episcopos suffraganeos ad erigendum seminarium, Conc. Trid. sess. 23. cap. 18. de reform. Quinto potest ipsos compellere ad faciendam synodum quotannis, Conc. Trid. sess. 24. cap. 2. Sexto potest ipsos cogere ad constituendum Archiepiscopatum ruralem, cap. Ut singula plebes 2. de offic. Archiepiscop. Septimo potest Episcopos suffraganeos ad concilium provinciale vocare, ut diffuse statuitur dist. 18. & per totam, & in Conc. Trid. sess. 24. c. 2. de reform. Octavo potest cogere suffraganeos ad residentium ad suas ecclesias, Conc. Trid. sess. 23. de reform. cap. 1. & illis sine legitima causa non residentibus ap-

16 plicare fructus fabricæ ecclesiæ, aut pauperibus loci, & crescente contumacia, denuntiare Summo Pontifici, Conc. Trid. ibidem, & Pius IV. in constit. incip. De salute gregis. Nono potest deputare Vicarium, seu Officiale in ecclesia suffraganea, si infra octo dies post mortem Episcopi Capitulum non providerit, vel non idoneum elegerit, Trid. sess. 16. cap. 23. de reform. Decimo potest vocare, & compellere suffraganeos pro consecratione alterius suffraganei, cap. Non debet 3. & cap. Episcopus 4. dist. 65. Undecimo potest cognoscere de justitia sententiæ excommunicationis suffraganei: c. Sollicitudinem 54. de appellat. §. Nos igitur, vers. Si verò Notarium.

19 Duodecimo potest Archiepiscopus interveniente causa suos suffraganeos suspendere, interdicere, & excommunicare, cap. Venerabilis, de sentent. excommunic. & cap. Romana ecclesia 1. de offic. Ordinarii in 6. Et Archiepiscopo absente, & à sua provincia distante, etiam ejus Vicarius potest ipsos suffraganeos suspendere, interdicere, & excommunicare, textu claro in cit. cap. Romana ecclesia, §. Officiales autem, de offic. Ord. in 6. Bertachin. de Episcopo part. 7. lib. 4. tit. de Vicario Episcopi q. 10. & cum alitis Barbosa lib. 1. juris eccles. univers. cap. 7. n. 28. Tertiodecimo potest Archiepiscopus excommunicare Vicarium, vel Officiale Episcopi suffraganei, causa rationabili existente, c. Romana, de offic. Vicarii in 6. & ibi Gloss. verb. Rationabili. Causæ autem rationabiles excommunicandi Vicarium sunt, quæ referuntur à Gloss. in cit. cap. Romana, & ab Archidiacon. & Gemin. ibi n. 6. scilicet, quando Vicarius impedit causam appellationis ad Archiepiscopum, vel si deliquit circa officium commissum, vel si peccaverit in his, quæ sunt jurisdictionis, vel si uteretur jurisdictione Episcopi excommunicati, vel si non servet privilegia Sedis Apostolicæ, vel si sit criminiosus, & incorrigibilis. Exceptis tamen his, & similibus casibus, si Vicarius delinquit extra officium, non subiacet jurisdictioni metropolitanæ, nisi in casibus à jure expressis, sicut ceteri subditi suffraganei, sed cognitio, & punitio delicti à Vicario extra officium pertinet ad suum Episcopum, qui habet facultatem à jure, prout quibus aliis magistratus coercendi officialem suum appellationem remota, prout disponitur in leg. Nulli Officialium, Cod. quomod. appellat. non recip. Gratian. in cap. Et qui appellat, §. Nulli quoque 2. quest. 6. Barbosa de offic. & potest. Episcop. part. 1. tit. 4. n. 18.

24 Quartodecimo potest Archiepiscopus absolovere subditum suffraganei, quem ipse non vult absolovere, cap. Ad reprædandum 6. de offic. Judicis Ordinarii. Quintodecimo potest dispensare in subditi suffraganei, quando ipse denegat dispensationem, & dispensatio est debita ratione personæ, loci, ætatis, temporis, pietatis, necessitatis, & utilitatis ecclesiæ, Sanchez in præcepta decalogi tom. 1. lib. 4. cap. 38. num. 13. Genuens. in præcepta Archiepiscop. Neapol. cap. 88. n. 3. Barbosa de offic. & potest. Episcop. cap. part. 1. tit. 4. num. 24. Sextodecimo potest conferre beneficia vacantia per negligentiam suffraganei, si enim suffraganeus sit negligens ad conferenda beneficia intra semestre, tunc collatio devolvitur ad Archiepiscopum, cap. Licet 3. de supplicanda negligentia Prælator. Decimoseptimo potest instituire præsentatum à patronis per negligentiam suffraganei, nam si Episcopus noluerit instituire intra duos menses præsentatum in jure patronatus à patronis, illum instituit Archiepiscopus, quem possunt adire patroni, Pius V. constituit. incip. In conferendis edita 16. Maji 1587. Decimotavo potest cogere Episcopum subditum pro testimonio ferendo, si Episcopus sit negligens in compellendo subdito ad perhibendum tale testimonium, & alia opportuna in causis, Abbas in cap. Si

quis contra Clericum 4. de foro competent. num. 8. Quarant. Summa Bullar. verb. Archiepiscopus auctoritas n. 14. Barbosa in cap. Pastoralis, de offic. Ordinarii num. 11. Decimono potest exequi ultimas voluntates subditorum Episcopi, ipso Episcopo negligente, Abbas in cap. Pastoralis, de offic. Ordinarii in principio, Marta de Jurisdic. part. 2. cap. 10. num. 4. Franc. Carpi de execut. testament. lib. 1. cap. 22. num. 77. Vigesimo potest dispensare in votis, & juramentis Episcoporum suffraganeorum, ut cum S. Antonin. Palud. Henrici. Avila, Sayr. & aliis tenet Sanchez in præcepta decalogi tom. 1. lib. 4. cap. 38. n. 16. Vigesimo primo potest cognoscere causas subditorum suffraganei, si habeant prædium in suo Archiepiscopatu, c. Hanc 3. & c. Licet 20. de foro competent. Vigesimo secundo potest Archiepiscopus in visitando provinciam compellere suffraganeos, & subditos eorum ad solvendum procuracionem, cap. Cum ex Officii sui debito 16. de Præscriptioibus, cap. Sopitæ 14. de Censibus, & cap. Romana ecclesia 1. de Censibus in 6. Vigesimo tertio Archiepiscopus dum actu visitat provinciam, potest subditum suffraganeorum confessiones audire, ipsos absolovere, atque penitentias injungere salutaris, cap. Perpetuo declaramus 5. de Censibus in 6. ubi in fine sic expressè dicitur: Potest etiam idem Archiepiscopus dum visitat, confessiones subditorum suffraganeorum audire, ut absolovere consentiens, & ipsi penitentias injungere salutaris. Immo nedum per se, sed etiam per alios potest subditos suffraganeorum absolovere etiam à casibus suis respectivè Episcopis reservatis, quia eo tempore quo Archiepiscopus dioceses suffraganeorum visitat, quilibet diocesis actu visitata censetur tamquam sua, & ipse habere in ea jurisdictionem quasi Episcopalem Episcopo superiore, Suarez tom. 4. disp. 30. sect. 3. num. 8. & tom. 5. disp. 14. sect. 2. n. 12. Barbosa lib. 1. juris eccles. univers. cap. 7. num. 89. cum multis aliis. Vigesimo quarto potest concedere indulgentias per totam suam provinciam, etiam si non sit in actu visitationis, dummodo statutum Generalis Concilii non excedat, cap. Nostro 15. de penitent. & remiss. & ejus summar. ubi sic præcisè dicitur: Archiepiscopus intra provinciam suam potest concedere indulgentias secundum formam Conc. Gener. Vigesimo quinto potest procedere contra canonicos suffraganeorum in casu inobservantiæ censurarum ab Episcopis latarum, & cognoscere ipsorum excessus in cessatione à divinis, cap. Irrefragabili 13. de offic. Jud. Ordinarii §. Ceterum. Vigesimo sexto potest absolovere excommunicatum suffraganei, licet contra ipsum appellat, & cogere Episcopum, ut deferat appellationi, cap. Qua fronte 25. §. Sane de appell. Vigesimo septimo potest Archiepiscopus exercere jurisdictionem in subditos suffraganeorum in concernentibus totam provinciam, ut in tollendo prævam consuetudinem, cap. Ad extirpandas 11. & cap. Nimis 18. de filiis presbyter. & cap. Ex frequentibus 3. de Institutionibus. Vigesimo octavo potest, cum in provincia sua jurisdictionem exercet, punire notorios injuriantes sibi, nunciis, & famulæ sue, sive suam jurisdictionem impediunt, sive non, cap. Romana 1. de panis. Vigesimo nono potest interdici prædicationis officium aliquibus per totam suam provinciam, cap. Tuarum 11. de privilegiis. Trigesimo primo test exules facere à tota sua provincia delinquentes in sua diocesi, cap. Non sine 2. de Arbitris & cap. Taurum 11. de privilegiis. Trigesimo primo potest mittere Quæstores elemosinarum per totam provinciam pro fabrica ecclesiæ metropolitana, cap. Romana 1. de panis. Trigesimo secundo potest mittere edicta per totam provinciam in casibus ad suam jurisdictionem pertinen-

1 Ecclesias omnes, etiam metropolitanas, regii juris esse patronatus, (1) & principem in omni territorium, supremum habere dominium (2) nemo ambigit. quamobrem ad quæstores elemosinarum pro illarum fabrica per totam provinciam mittendos specialis regii Consilii licentia prærequiritur videtur; (3) non secus per regnum, insulas que

(1) Vid. verb. Abbas in add. hisp. vers. De omnibus.  
(2) Vid. verb. Quæstuarie.

(3) L. 6. tit. 9. lib. 1. Ibi: Y asimismo mandamos á las dichas Justicias no consentan, ni den lugar que en las dichas iglesias, monasterios, hospitales, y obras pias, fue-

BIBLIOTECA CENTRAL  
U. A. N. L.